ORATIO GENETHLIACA I.

ENCOMIUM NATALIS DOMINI.

continens.

Si, Pro-Consul Gravissime, caeterique Reipubl. huius Patres Conscripti, Viri Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi, Consultissimi, Prudentissimi, Experientissimi, Viri item Reverendi, Excellentissimi, Experientissimi, Clarissimi, Praestantissimi, Spectatissimi, tuque lectissima studiosae Juventutis Corona, si, inquo, per latos ac latos Historicorum, tam sacrorum, quam profanorum, campos curiosos oculos circumferimus, inter alia notatu dignissima, nobis [illegible] quam plurimae et celeberrimorum Natalium non sine stupore Lectorum, etiamsi non omnium, eorum tamen maxime, qui nesciunt, quid distent aera lupinis, oculos ferient festivitates. Certe enim, quisquis sacra primo loco sacrarum literarum monumenta cum qua par est attentione mentis perlustrabit, ei statim Pharaonis, potentissimi Aegypti Regis, Natalis in oculos incurret. Incurret in oculos Natalis Antiochi Epiphanis, Regis Syriae decantatissimi: Herodis quoque, Judaeae Tetrarchae, Natalis occurret. Praeterea, si Antiquitatum partim Graecanicarum, partim Romanarum monimenta inspexerimus, nonnullae aliae natalitiae sese offerent legendae festivitates. Offerent legenda se Natalia Cyri: legitur namque apud Platonem in Alcibiade et apud Xenophontem in Paedia, Persas ac Medos maximis congratulationibus Cyri Diem celebrare consuevisse. Nec minus et optimi simul ac felicissimi Romanorum Imperatoris, Augusti occurret Natalis. De hoc quippe Suetonius, vitae Imperatoriarum Scriptor gravissimus in Augusto memorat: Equites Romanos eundem biduo celebrasse. Eodem quod apud Alexandrum ab Alexandro Neapolitanum [illegible] legere liceat, servos quotannis et mancipia ferias Romae Idibus Augusti in honorem Servii Tullii agitasse, idque [illegible] eam ob causam potissimum fecisse: quod ipse die ex ancilla natus, atque deinceps ex infima ac conditione ad regni fastigium elatus sit. Non abludunt a veteri hoc more tradendo viri, quibus et veterum Heroum memoria curae, et vetustatis conservatio, et receptione virtutis, et [illegible] ad deos et tandem posteritatem merito accepta ferunt, Poëtae: Juvenalem puto, Martialem, Virgilium, Ovidium, Horatium, ipsumque et decimam Musam Plautum. Audiamus gravissimum morum Romanorum Censorem, Juvenalem; is quippe sic canit alicubi:

Moris erat quondam festis servare diebus,
Et natalitium cognatis ponere lardum.

Audiamus et summum illud Poëtarum Lumen, Virgilium: ipse enim Iolam suum sic alloquitur verbis:

Phyllida mitte mihi, meus est natalis, Iola!

Nec minus disertus Tibullus, Elegiacorum Poëtarum haut infimus, canit: